M0009905: Plant Illustrations with text use of mandragora vine

Publication/Creation

March 1947

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/hts5brdc

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

A

Dollkraut/ Schlaffkraut.

B

foris, intus albis, craſſo cortice ueſtitis. uerùm is mandragoras caule uiduus eſt.

Alter candidus, qui mas dicitur, nonnullis morion uocitatus. huius folia magna, alba, lata, læuia ut betæ: mala quàm alterius duplo maiora, colore in crocum inclinante, iucundè cum grauitate quadam olentia. horum pomorum cibo, aliquantum opiliones ſoporantur. radix, alterius ſimilis, maior & candidior, orbata caule. Succus fit è cortice recentis radicis tuſo, & prælis ſubiecto: qui inſolatus ubi concreuerit, fictili reconditur. Malis quoq; ſuccus depromitur, ſed aliquanto ignauior. Delibratur radix, & traiectus lino cortex, ad uſum ſuſpenditur. Aliqui radices in uino ad tertias coquunt, & defæcatum ius ſeruant: cyathoq; uno utuntur in peruigilijs, & doloribus, & ante ſectiones uſtionesq;, ne ſentiantur. Succus duobus obolis ex mulſo potus, ut ueratrum, per uomitiones bilem atram pituitamq; extrahit. uerùm potu largiore, uita adimitur. medicamẽtis ocularibus, & his quæ dolores finiunt, peſsis quoq; emollientibus, admiſcetur. ſemioboli pondere inditus, per ſemenſes & partus expellit. ſubditus ſedi pro balano, ſomnificus eſt. Radix ebur emollire fertur, quæ ſenis horis cum eo decocta ſit: & ad accipiendam, quàm effingere optaueris, formam, ipſum facilè præſtat. Folia recentia conuenienter oculorum inflammationibus, & collectionibus quæ cum polenta illinuntur. duritias omneis, ſuppurationes, ſtrumas & ulcera citarunt, cum polenta illinuntur. ſtigmata ſine exulceratione delent, ſi quinis ſeniſue diebus ſmtubercula diſcutiunt. ſtigmata ſine exulceratione delent, ſi quinis ſeniſue diebus ſa- ſim perfricentur. folia ſeruantur in murijs eoſdem ad uſus. Trita radix ignibus ſacris ex aceto, & ſerpentium ictibus ex melle aut oleo, medetur. ſtrumas atq; tubercula, cum aqua diſsipat. articulorum cruciatus, cum polenta ſedat. Fit citra coctionem uinum è cortice radicis, ad hunc modum: Ternæ minæ in uini dulcis metretam cõijciuntur. Dantur ex eo terni cyathi, ijs qui ſecari aut amburi debent, ut antè dictum eſt: ſiquidem nullo tunc afficiuntur dolore, ſed ueterno quodam preſsi, torpeſcunt. Mala ſoporem afferunt olfactu, & etiam ſi mandantur. item expreſſus ex eis ſuccus. nimio tamen odore percuſsi, obmuteſcunt. Semen malorum potum, uuluas purgat: appoſitumq; cum ſulphure ignem non experto, rubra fœminarum profluuia ſiſtit. Scarificata punctisq; multifariam * aperta radice, erumpens lachryma cauo uaſe recipitur. liquamentum autem ſucco lacteo præſtantius eſt: ſed non ubiq; ut experientia docet, radices lacteum ſuccum delachrymant. Alium tradunt eſſe mandragoram, nomine morion, in opacis iuxta ſpecus enatum, folijs albi mandragoræ, minoribus, albis, dodrantalibus, radicem ambientibus: quæ mollis eſt & candida, pauló maior palmo, pollicemq; craſsitudine æquat. Tradunt eam in pane, * offa obſonioue, drachmæ pondere deuoratam, uſum rationis intercipere. Obdormiſcit enim homo eo ferè quo comederit habitu, ſenſus impos, ternis quaternisue, ex quo data eſt, horis. Hac medici utuntur, cùm ſcindendi, urendiq; neceſsitas adeſt. Amatorium eſſe uolunt radicem, cum maniculo ſolano potam.

* In teſtudinis morem.

* Polenta.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Μανδραγόρας. Latinè, Mandragoras.
Officinis Mandragora. Germanis, Alraun.

Gallis de la mandegloyre appellatur.

A

Duo Dioſcoridi & Plinio, Mandragoræ ſunt genera. Mas candida eſt, μώριον Græci uocant, huius hic effigiem damus: fœmina nigra, Græcis θριδακίας, à ſimilitudine foliorum appellata. Theophraſtus autem lib. 9. de hiſtoria plantarum capite ſecundo, tertium quoddam genus Mandragoræ conſtituit, cuius fructus ſit μέλας, καὶ ῥαγώδης, καὶ οἰνώδης τῷ χυμῷ, hoc eſt niger, acinoſus, & ſucco uinoſus: huius picturam quoq; damus, Germani Dollkraut, & Schlaff beer appellant.

Mandragoræ maris cortex præſtantioris, cortex craſſus, lino traiectus ad uſum ſuſpenditur: refrigerandi uis lentiſsima, ut ordine tertio, & ſiccandi primo. Gal. lib. 7. ſimp.

Mala inſana.

Nec ſunt hoc loco prætereunda ſilentio, mala inſana uulgo uocitata, quæ Hermolaus Barbarus in ſuo Corollario, Mandragoræ ſpeciem, quam Morion uocant, arbitratur &c. Quam tamen ſententiam cur non probem facit, præcipuè quòd Morij fructus lætalis ſit, mala uerò inſana minimè. de his pomis nihil ueteribus fuiſſe ſcriptum, deſino mirari, quòd multa huiuſmodi reperio, ſicut permulta quondam fuere, quæ hodie uel ignorantur, uel certè non habentur. Galli amorum poma, Germani Melanzan/ nominant. Mala ergo inſana è frutice uulgaris dependent, qui Perſonaceam frondibus & caule prorſus æmulatur: is paſsim naſcitur folijs propè ſpiculatis, flore oblongo, ſpecioſo, candido, fructu pomi magnitudine, in orbem abſolutum circinato, colore uel puniceo, uel niueo, in quibus cartilago, granis intercepta cucumeraceis, cõtinetur, quæ edendo fit. Eſitur uulgo pomum ex oleo, ſale, pipere, fungorum modo coctum. Alij ubi paulum inferbuit, igni in orbiculos uel taleolas digerunt, & in acetarijs ex oleo, uel pipere & aceti momento mandunt. Salgamarij in muria acida ſeruant, cibo per hyemem & uer ori non ingrato, ſed tamen qui ægrius concoquitur.

B

Aconitum. Cap. LXVI.

ACONITUM, aliqui pardalianches, alij cammoron, alij thelyphonon, alij myoctonon, alij theriophonon uocant. folia habet cyclamini, aut cucumeris, tria aut quatuor, minora & ſubhirſuta: caulem palmo altum, radix ſcorpij caudam æmulatur, & alabaſtri modo ſplendet. Torpeſcunt, ut fama eſt, ſcorpiones admota radice, ſtupentq;: qui rurſum hellebori contactu excitantur. oculorum medicamentis leuandi doloris gratia adijcitur. enecat panthe ras, ſues, lupos & feras omneis in carnibus obiectum. Eſt & alterum aconitum, quod aliqui cynoctonon, alij lycoctonon appellant. * Huius genera ſunt tria: unũ quo utuntur uenatores, alia duo in uſum ſuum uertere medici. è quibus tertium, quod Ponticum nominatur, plurimum in Italia, montibus Iuſtinis exiſt, à priore differens, quoniam folia faciat effigie platani, crebriore diuiſura, longiora, & multò nigriora: caulem filicis, leuem ſtylum, cubitali altitudine, aut ampliorem. ſemen in ſiliquis oblõgis recondit. radices in modum ſquillæ marinæ cirrhorum nigreſcũt, quibus ad uenationem luporum utuntur. inſertæ ſiquidem crudis carnibus, & deuoratæ, lupos enecant.

* *Omnia hæc à quibuſdam deſiderantur.*

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Παρδαλιαγχὲς, ἀκόνιτον.
Latinè Pardalianches, quòd Pardi eo necentur: & Scorpium, quòd radicem Scorpioni ſimilem habeat.
Officinæ Vuam urſam, & uulpinam.
Germani Wolffsbeer/ & Dollwurtz.